

1221.

[13]

254

Bischof Dietrich von Münster befundet, daß das Kloster Vietmarchen die eine Hälfte eines Gutes in Hesepe bei dem Eintritt der Hildegarda von Braco in das Kloster als Geschenk erhalten und die andere Hälfte später dazu gefaust hat.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Theodericus, Dei gratia Monasteriensis episcopus, in perpetuum. Ex iuncto nobis pastoralis cure mynisterio compellimur gregis dominici profectibus provida sagacitate providere et ipsius incommodis omni, qua possumus, vigilantia contraire, non immemores etiam sententie apostoli, que dicit, „unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem“, necessitate virtutem cumulantibus religionem plantare, plantatam presidiis et subsidiis fulcire ope, qua possumus, libenter intendimus divina gratia dante incrementum. Sciant ergo presentes et posteri non ignorant, quod cum Lutmodis de Vraco filiam suam Hildewaram regule sanctimonialium subiecta (!) monasterio in Sanktemarienrothe reddidisset, Deo servitaram, eadem L. motu pietatis de consensu filiorum suorum medietatem allodii, quod habebat in Hasepe, beate Virgini et predicte ecclesie cum omni utilitate contradidit tam fratribus quam sororibus ibi Deo deservientibus profuturam. Postmodum vero Sophya iamdicta L. [filia] in fata cedente pro viginti duabus marcis eiusdem allodii secundam medietatem conventus comparavit heredibus omni iure (!) suo renuntiantibus, quod in supradicto allodio habere videbantur,

ut sic omni questione sopita illud pedium ecclesia et conventus possideat et habeat cum omni integritate. Ne autem imposterum aliqua suboriri possit calumpnia huius donationis et emptionis querens titulum, presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>xxi<sup>o</sup>, regnante Romanorum imperatore Frederico, pontificatus nostri anno tertio. Testes sunt: comes Otto de Thekeneburg, Ludolfus et Rodolfus de Stenvordia, Hermannus de Monasterio, Lutbertus de Beveren, Otto de Tunen, Conradus de Brohterbike, Lutbertus de Linge et alii quam plures.

Orig. Siegel. Rückschrift: To Hesepe to Boec; Boif to Hesepe, Overhuis. Vergl. die Urf. 30 von 1279. — IX. Rep. I. 5.